


DEBRANDI
656

B


EX MUNIFICENTIA
FERDINANDI III. M. E. D.
DIE 3. IUNII 1791.

AI

ΣΥΝ ΘΕΩ

DISCUSSIO

HÆRESEON AERII

Quas Proteſtantibus Pontificij impingunt Circa

DISCRIMEN EPISCOPORUM ET PRESB. PRECES, ET OBLATIONES PRO DEFUNCTIS: STATA IEIUNIA; &c.

PRAESIDE

IOACHIMO HILDEBRANDO, S. THEOL. D. EJUSQUE ORDIN. PROF.

IN ACADEMIA JULIA

Publico examini expoſita

AB

HENRICO AL-O Elbinga-Pruſſo

Ad diem XVI Maij

IN IULEO MAIORI.





HELMESTADI,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.


ANNO CIƆ IƆC LVI.



QUADRIGÆ
IN INCLVTA ELBINGENSIVM REPVBLICA
AMPLISSIMORVM VIRORVM
DN. THOMÆ HESIO
ILLUSTRI BURGGRABIO REGIO
DN. MICHAELI HELWING.
MAGNIFICO PRÆSIDI
DN. ISRAELI HOPPIO
DN. MICHAELI SIEFERTO.
NOBILISSIMIS PRÆCONSVLIBVS

DNN. Fautoribus, ſtudiorum meorum unicis Promotoribus, & Mecænatibus Maximis, ſubmiſsa animi reverentiâ ſemper proſequendis

FELICITATEM, JVXTAQVE AETERNVM OBSERVANTIÆ CVLTVM.



Uanta ijs, ILLUSTRIS DN. BVRGGRABIE REGIE, MAGNIFICE DN. PRAESES, NOBILISSIMI DN. PRAE-

CONSVLES, AMPLISSIMI VIRI! qui gubernacula Reipublicæ tenent, & laudabili eadem administrant operá, incumbat Religionis cura & meditatio, ex ipsis Ethnicis Tulliana Oratorum suada & Philosophorum Parens quamplurimis in locis testatum reliquerunt, è quibus unicum in præsens producere libet. Orator equidem Religionem non tantum *rem sanctissimam, & eum, qui hanc violat, perniciosum Patriæ civem fore, sed etiam sanctitate & Religione sublata, perturbationem vitæ & magnam confusionem sequi existimat.* Philosophus verò Plato in l. de Republ. *πρῶτον τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν*, i. principem rerum divinarum curam gerendam esse censet. Quibus Augustissimi è Christianis Imperatores suffragijs suis non desunt, dum ita sanciunt: *Decere arbitramur nostrum Imperium nostros subditos de Religione commonefacere; ita enim & pleniorem acquiri Dei & Salvatoris Iesu Christi benignitatem possibile esse existimamus.* Quæ testimonia non possunt non ab ijs, quibus veluti columnis Publica res innititur, acceptari & firmiter animo infigi. Quod si sanctissimum, quem divina providentia per manus veluti tradi atque

custoditè ad nos transmitti concessit, inspiciamus codicem; pientissimorum sapientissimorumq; Regum de excolenda religione maximè sollicitorum exempla utramq; complere paginam reperiemus, imò fundamentum & basin eandem omnium esse rerum nos clarè docebunt. David vir apud Deum exploratæ sanctitatis, ejusque filius Salomon prudentiâ nulli mortalium secundus, toti in vero Dei cultu suam in Rempublicam, cujus fundator ipse Jehova erat, introducendo & conservando strenuè occupabantur, ac cumprimis divina oracula maximæ sibi curæ cordique esse reapse exprimebant. Quid? annon Magistratus eam ob causam *Deorum* (hoc enim nomine eundem sacra compellat pagina) fungitur munere, dum cogitationes suas eò unicè intendit, ut pura ac orthodoxa vigeat floreatq; Religio. Idem innuere Dei spiritus videtur, quãdo dulci admodum *Nutriciorum* elogio reipublicæ præsides insignit, utpote hanc partem haud absimiles illis, qui tenellis infantibus lac præbent. Ut verò hæc divini muneris particula conspectius nonnihil sese prodat, aliud

insuper accedere debet. Quemadmodū enim naucleri interest, non tantum cælo favente ratem optimè regere, sed quoque tum maximè, cum decumani fluctuum insurgunt impetus, sacram, quod ajunt, ancoram jacere, pariterq; ne navicula vi deprimatur ac pessum eat, æstuantium undarum moli, quoad licet, obniti; pari modo pium Magistratum tyrannorum sævientium violentiam, & publicorum hæreticorum, S. Sancto numini ejusque in verbo revelatæ veritati fidem derogantium insultus comprimere, imò nisi sanioris mentis spes sit reliqua, è Patriæ finibus exturbare decet. Quibus omnibus animo meo in vicem collatis ac ultrò citroq; habitis, rectà ad Vos ducor PATRIAE LUMINA, & ad Vos humillime compellandum facilè invitor. Optimè siquidem de eo constat, quanta penes Vos hactenus fuerit animi sollicitudo, ne non in vestris quoque finibus sinceræ & puræ religionis locus maneret, neque unquam deessent, qui sanos divinæ veritatis sermones quasi instillarent, cujus rei cum quamplurima adsint testimonia, quid verbis vel circuitione opus

eſt? teſtem meipſum adduco, qui à Vobis & Amplissimo Senatv jam per triennium in hac illuſtri bonarum artium & diſciplinarum ſede, itemque virorum omnis doctrinæ laude præclariſſimorum veluti choro, ſtipendio ſatis amplo exornatus vixi. Neque animum meum unquam latent ingentia veſtra merita in B. meum Parentem & me jam dum à primis annis collata, quibus etiam nunc fruor, adeò quidem, ut gravem à me culpam committi dicendus eſſem, niſi publicum tandem eorum extaret teſtimonium, quod tamen ſummis veſtris beneficijs longè inferius eſſe, quam ut eorum dignitati ex æquo reſpondere valeat, haud inficias eo. Interim Magnifica veſtra Nomina huic meæ Diſſertationi Theologicæ præfigere viſum fuit: quæ complectitur diſcuſſionem ſequiorum dogmatum veteris ſive hæretici ſive Schismatici Aerij, à Roberto Bellarmino acerrimo olim Romanæ Curiæ propugnatore ac tantùm non principe, noſtris quoque Eccleſijs ſubdolè aç falsè imputatorum. Reſpicite quæſo eandem ac (quod

alias

alias consvevistis) sereno excipite vultu, meque vestrum clientem ulteriori benignæ mentis affectu clementer prosequi ne dedignemini, quod observanter oro, obsecro, obtestor. Si enim de Vestra in me meaque studia benevolentia certi quid mihi porrò polliceri potuero; erit sanè, quod Musis meis Vestra Munificentia hic loci ad majorem perfectionem Bono cum Deo perducendis gratulari denuò queam, de quo & mente & manu quod ajunt, stipulata sanctè compromitto. Deus ex alto Vos VIRI MAGNIEICI INCLVTVMQVE PATRIAE SENATVM umbra alarum suarum protegat, consilijs benedicat, pacemque in vestris finibus redonet: Fiat hoc propter Iesum Christum Salvatorem nostrum unicum. Fiat!

V.V.V.V. M.M.M.M.

humilimus cliens

HENRICUS ALTUS.

Discussio

HÆRESEON AERII,

Quas Protestantibus Pontificij impingunt.

THESIS I.

AB initio usque Ecclesiæ reperti sunt, qui optimè dicta & facta in pejorem partem rapuerunt omnia. Memorabili ejus rei exemplo est primitiva Ecclesia, & quibus indignus erat Orbis, martyrum ille candidatus exercitus. De his cum pagani audirent, quod carnem Filij hominis comederent ejusque sanguinem in SS. Eucharistia biberent Ioh. VI, 53. calumnia sparsa est Christianos infanticidas esse & anthropophagos. Cum charitatis, quam supremis tabulis Dominus commendaverat, memores se invicem blando fratrum ac sororum nomine appellarent, & hi postea connuberent, pagani promiscuam Venerem vagamque libidinem & incestas nuptias iisdem affinxerunt. Cum in Precibus ad Solem Orientem sese converterent, per calumniam ipsis Heliolatria impacta est. Cum in publicis iisque nocturnis Sacris coram Sacerdote verba præeunte in genua provoluti orarent, genitalia Presbyteri adorare dicti sunt. Cum Deos non colerent, athei; cum statuas Cæsarum non adorarent, læsæ Majestatis rei habiti sunt, quæ calumniæ odium immane apud infideles Ecclesiæ conflarunt, sed ab ejus ævi

Patribus Tertulliano, Iustino Martyre, Minutio Felice alijsque per libellos apologeticos fortiter retusæ sunt.

II. Proinde mirum videri non debet, cum similem fortunam Orthodoxorum Ecclesia hodienum subit, quę ab adversariis multarum, quæ dudum ab Orbe Christiano damnatæ sint, novoque paxillo suspensæ, hæreseon postulatur, ut in vulgus exosa vel veterum errorum suspecta saltem fiat. Ita Cardin. Bellarminus lib. IV. de Ecclesia c. IX. *corollam viginti hæreseon* texit eamque modernis sectarijs, quos vocat, præsertim Lutheranis imponere satagit. Leonh. Lessius in Consultatione sua dimidiato numero veteres hæreses decem Nostratibus impingit. Alij plures, pauciores alij. Inprimis tres sunt hæreses, quas sub aliqua qualicunque tandem specie (nam quæ de cæteris adferunt, aperta sunt mendacia, quæ vel recitasse refutasse est) Protestantibus affingunt. Affirmat enim Bellarminus nos Aerianos, Iovinianos, Vigilantianos esse. *Aeriani*, inquit, *docebant, orare vel offerre pro mortuis oblationem non oportere; stata solenniter celebranda jejunia non esse, sed cum quisque voluerit jejunandum, ne videatur, esse sub lege; Presbyterum ab Episcopo nulla differentia debere discerni, ut legere est apud Epiph. hær. LXXV. & S. August. lib. de hær. c. XXXIII. Eadem docent & faciunt Lutherani ferè omnes. Iovinianus inter alia docuit ciborum delectum & jejunia non esse meritoria. Idem error habetur in August. Confess. art. XXIV. Iovinianus conjugium cælibatui dignitate & merito æquavit. Similia habet Lutherus in Epithalamio & August. Conf. art. XXIII. Vigilantius docuit, reliquias Sanctorum non esse venerandas, orationes mortuorum pro aliis non exaudiri, Clericos debere esse uxoratos; non expedire relinquere omnia & dare pauperibus relictoque seculo ad religionem properare. Ita refert de utroque hæresiarcha S. Hieronymus. Eadem omnia, quæ Vigilantius, docent nunc sectarij &c.* Hæc ad eum modum Bellarminus.

III. Abun-

III. Abundè quidem ad has calumnias à Nostratibus responsum est, sed nos exercitij gratia spicilegium post messem instituemus & duabus posterioribus Ioviniani & Vigilantij sectis in aliud tempus reservatis, unam Aerij hæresin spectabimus eamque à Protestantium Ecclesia devolvemus. Prænotanda h. l. est falsa Bellarmini hypothesis existimantis omnes ac singulos errores, quos S. Irenæus, Hieronymus, Epiphanius, Philastrius, Augustinus, Theodoretus in catalogis hæreseon collocarunt, revera hæreses esse & in Veteri Ecclesia ab omnibus tales habitas fuisse, cum (ait) vero non sit simile sanctos illos & doctos viros inter hæreses retulisse dogmata, de quibus dubitari scivissent in Ecclesia; cum nemo etiam hos Patres propterea, quod innocentes hæreticis connumerarint, uspiam accusaverit. Verùm hæc argumenta Topica sunt, quæ nondum evincunt, quod debebant. Esto, viri sancti & docti fuerint, qui Hæresiologia texuerunt, meminisse Bellarminus debuit, quod nemini quamvis docto & sancto viro ubique luceat. Esto, quod à nemine ob malè recensitam unam alteramve hæresin fuerint reprehensi, fortè id ideo factum, quod honori ipsorum legentes pepercerint nec Patrum pudenda detegere voluerint. Nævos in sanctissimis quoque Patribus reperiri extra est dubium, qui rectius taceantur, nisi ut propalentur, necessitas postulet.

IV. Ut cæteros hæresiographos hac vice prætereamus, unus Philastrius, Brixiensis Episcopus, scriptor ipso S. Augustino antiquior clarus una cum S. Ambrosio sub Theodosio M. quales nobis Hæreses enarrat? Hæresis illi est, si quis terræmotum à causis naturalibus derivet; si quis cælo Cometas, Pogonias, Hyadas, hædos &c. nomina stellarum, præter ea, quæ in Sacro Codice expressa sunt, afferat; si quis in calculo mundi aberret; si quis per filios Dei

cum filiabus hominum commixtos angelos intelligat & ex concubitu illo gigantes productos credat; si quis diebus per hebdomada Planetarum, Solis, Lunæ, Martis &c. nomina imponat; si quis diluvium Deucalionis cum diluvio Noæ conferat; si quis in æthere XII signa Zodiaci & stellas fixas nominet; si quis psalmos omnes à Davide scriptos neget; si quis in locum Versionis LXX Interpretum versione Aquilæ Pontici utatur; Hæreses circa uxores & concubinas Salomonis, circa funiculum mensorium Zach. II, I. circa labia Prophetæ carbone tacta Es. VI, 6. & circa alia talia constituit. De his & similibus hæreseos aliquem postulare vel errorem gehenna flammisque æternis expiandum alicui impingere stolidum est, nec pontificios ipsos saltem doctiores in anathematibus evibrandis alias nimium faciles ejuscemodi hæreticorum catalogis per omnia subscripturos existimamus. Dicendum igitur est, quod sancti illi & docti Viri Syllabos hæreseon laxiores texuerint & levem sæpe dissensum, non tam ab eo, quod Ecclesiæ, quam quod ipsis verum visum est, hæresibus connumerarint. Non habet Ecclesia ullum catalogum, qui velut authenticus publicè receptus solas verè & in rigore dictas hæreses percenseat. Ex quo patet, Bellarminum labili fundamento & parieti caduco inniti, dum omne dogma, quod hic vel iste privatus Doctor in numero hæreseon ponit, ab universa, quæ sub cælo est, Ecclesia pro damnata hæresi habitum putat. Itaq; non sequitur: Aerium v. g. Epiphanius & Augustinus inter hæreticos ponunt. Ergo est hæreticus verè & strictè ita dictus.

V. Ipse S. Augustinus, qui libellum enumeratis hæresibus lectu dignissimum implevit & suo Quod vult deo inscripsit, in limine opusculi fatetur, sibi quid præcisè sit hæresis, non constare. Verba Præfationis hæc sunt: *Quid*

faciat

faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest aut difficilimè potest. Videtur igitur S. Augustinus non adeò certus fuisse, an omnia illa dogmata, quæ ipse inter hæreses collocat, pro hæresibus habenda sint necne? Sed si veteres illos catalogos hæreseon notas facere gestiant pontificij, viderint, ne ipsi in eodem luto, in quod alios præcipitare satagunt, deprehendantur. Prisci enim non ea tantum capita doctrinæ, quæ cum Apostolicis è diametro pugnarunt, sed & additamenta fidei, cum sub necessitate salutis vel sub ratione fundamenti vel tanquam apostolica venditarentur, veris & formatis hæresibus (idque fortassis haud injuria) apposuerunt. Testem hujus rei laudamus S. Augustinum, qui de Apostolicorum secta fatur h. m. *Apostolici eo nomine arrogantissimè se vocarunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes conjugibus & res proprias possidentes, quales habet Ecclesia & clericos & monachos plurimos. Sed ideo isti haeretici sunt, quia ab Ecclesia se separantes NULLAM SPEM PUTANT EOS HABERE, QUI UTUNTUR IIS REBUS, QUIBUS IPSI CARENT.* Cap. XL. Et de Euchetis vel Messalianis: Ευχῆται *ab orando sic appellati sunt. Tantum enim orant, ut eis, qui hoc de illis audiunt, incredibile videatur. Nam cum Dominus dixerit: Oportet semper orare & non deficere; & Apostolus: Sine intermissione orate (quod sanissimè sic accipitur, ut nullo die intermittantur certa orandi tempora) isti ita nimis hoc faciunt, ut hinc judicentur inter hæreticos numerandi.* Cap. LVII. Plura hujusmodi ex Antiquitate proferri possent, si instituti ratio pateretur. Sanè vivere in cælibatu, nihil habere proprij, tempus omne precibus impendere per se talia sunt, quæ neminem hæreticum faciunt; at cum veteres sectarij ista sub necessitate salutis urgerent nullamq; spem habere illos, qui secum non facerent, docerent, in hæresin

 con-

condemnati sunt. Stante hac hypothesi dogmata pontificia v. g. Infallibilitas Papæ, Purgatorium, Transsubstantiatio, Indulgentiæ, Sacrificium Missæ &c. (esto, quod per se Fidei fundamentum non diruant) hæreses tamen censeri debent, quod sub ratione fundamenti, sub necessitate salutis, sub anathemate Ecclesiæ obtrudantur. Sed de his alibi plenius.

VI. Prænotamus porro, quod nudus ab Ecclesia dissensus hæresis non sit, cum fieri possit, ut ipsa Ecclesia (etiam universalis) in aliquibus non fundamentalibus aberret; infallibilitas enim si qua Ecclesiæ in SS. literis promissa sit, ad dogmata fundamenti, quibus super extructa est Ecclesia, restringenda est. Hinc non sequitur: Aerius diversum quid à communi Ecclesiæ doctrina statuit. Ergo est hæreticus. Hæresis enim est error Apostolorum doctrinæ SS. literis comprehensæ evidenter oppositus. Cætera dogmata extra apostolica erronea esse possunt, hæretica non item, nisi forte, ut jamjam diximus, sub necessitate salutis vel ceu apostolica urgeantur. Dein prænotamus Aerium à veteribus nonnullis inter hæreticos relatum non tam ob propria dogmata, quæ ex Epiphanio & Augustino Bellarminus recenset, quam ob Arianismum: *In Arianorum enim hæresin lapsus Aerius*, scribit S. Augustinus hær. LIII. *propria dogmata* (hæreses non appellat) *addidit*. Epiphanius ita docet: *Aerius in hunc usque diem vivit in carne, & superest in vita Arianus quidem in totum: aliter enim non sentit, quam velut Arius & adhuc ultra amplius ea, quæ Arij sunt, perscrutatur, acutus lingua & armatus labiis hac in parte.* Hær. LXXV. Hæreticus itaque inprimis ideo fuerit Aerius, quod hæresiarcham Arium secutus æternam ex substantia Patris generationem & essentiam divinam Filio Dei abjudicaverit. Sed hac in parte nec cum Ario nec cum Aerio communica-

nicamus, imò utrique anathema dicimus. Miretur autem aliquis, quod in Ecclesiæ antiqua historia apud Socratem, Sozomenum, Theodoretum Virum in comportandis hæreticorum fabulis alias industrium, Evagrium &c. quos omnes Aerius presbyter vita antecessit, Aeriani nusquam memorentur. Hinc alij conjectant, Aerium cum Ario malè confundi & per injuriam Arianismi (fortè à malevolis episcopis, quibus æquandum se presbyter duxit) accusari, cum adversarios potius Aerij, Eustatianos fidei Homousianæ desertores factos constet. Vid. Lamb. Danæus in comment. ad August. l. de Hær. LIII.

VII. Hæreseos *Syllabicorum* Basilius M. in lib. de Sp. S. cap. 2. meminit ejusque auctorem constituit Aerium. Hi Syllabas S. Scripturæ rimando sub varijs tricis Arianismum occultare deprehensi sunt. Verba S. Basilij hæc sunt: *Curiosa istorum hominum circa SYLLABAS & dictiones observatio haudquaquam simplex alicui videri possit, neque ad mediocre tendens malum, sed profundum habet atque obtectum adversus pietatem consilium. Contendunt enim ostendere dissimilem esse prolationem Patris & Filij & Spiritus S. tanquam hinc habituri facilem probationem, eos etiam natura disjunctos esse. Habent enim isti vetus quoddam commentum ab AERIO hujus hæreseos principe inventum, qui in epistolis suis aliquando scripsit, ea, quæ secundum naturam dissimilia sunt, dissimiliter proferri ac retrorsum, quæ dissimiliter proferuntur, esse dissimilia secundum naturam. Ad hujus dicti confirmationem citavit Apostolum dicentem: Unus Deus & Pater, EX QUO omnia; & unus Dominus Iesus Christus, PER QUEM omnia. Igitur quemadmodum, inquit, voces se habent inter sese: eodem modo habebunt rerum significatarum natura. Sed inter sese discrepant: PER QUEM & EX QUO. Dissimilis ergo Patri est Filius. Ex hoc morbo nata est de Syllabis curiositas ista: Deo Patri velut eximiam*

portio-

portionem attribuunt illud: EX QVO. Filio Dei: PER QVEM. Spiritui vero S. IN QVO omnia & hunc syllabarum usum esse perpetuum docent, ut ex discrepantia prolationis simul naturæ diversitas appareat. Hactenus Basilius, quæ si ita sint, videntur Aeriani tales hypotheses ex Syllabis S. Scripturæ efformasse, unde per facilem consequentiam Arianismus deduci potuit, quo nomine si malè apud Homousianos vulgo ita dictos audierint, nostra id non refert, qui tales syllabas non captamus, sed Patrem, Filium, Spiritum S. tres illos consubstantiales unũ Deum ὁμοθυμαδὸν profitemur, EX QUO, PER QUEM, IN QUO æqualiter omnia. Voces enim istas uni personæ æquè ac alteri, nec uni magis quam alteri competere credimus.

DISCRIMEN EPISCOPORUM ET PRESBYT.

IIX. Sed ut eo rectius de Aerio nobis constet, juvat ex SS. Antiquitatibus brevem Aerij historiam retexere. Circa A. C. CCCLX Aerius & Eustatius prope Sebastiam in Insula Ponto minoris Armeniæ monachi, ascetæ vel mandritæ erant & uterque in claustro sacris exercitijs instabant. Mortuo episcopo Sebastiæ uterque vacantem cathedram ambiit. Per hanc ambitionem nata primum est æmulatio, quæ vel maximè se exeruit, cum in petitione episcopatus repulsam Aerius pateretur, & Eustatius cathedram obtineret. Sed Eustatius veteris commilitonis Aerij benevolentiam captans eundem cænobio evocatum presbyterum suum ordinavit & præterea insigni alicui Xenodochio vel ptochotropheo præfecit. Aerius ita presbyter & Eleemosynarius factus à pristino odio non diu remisit. Indignatus enim, quod absoluta circa pauperes alendos administratio sibi non concederetur, curam pauperum deseruit & ab episcopo suo Eustatio secedens calum-

niam

niam ſparſit, Euſtatium avaritiæ deditum bona pauperum ad ſuos uſus convertere. Hæc calumnia cum probabilis vulgo viſa ſit, quod Euſtatius bona illa omnia ſub ſua ἐπισκοπῇ haberet, Aerius magnam virorum & mulierum multitudinem allexit, cum quibus ſeparatos ad Sacra conventus ſub dio in agris & vicis inſtituit, atque hanc originem *Schiſmatis Aeriani* Epiphanius refert. In illo Schismate Epiſcopi Aerium ejusque turbam graviter perſecuti ſunt & in ſylvas, ad antra cæca rupium procul à Baſilicis abegerunt & conventicula Aerij diſſiparunt dicentes, non convenire, ut ſimplex presbyter, qualis erat Aerius, invito epiſcopo ſacros cætus cogeret. His Aerius ſublato epiſcopi & presbyteri diſcrimine ſeſe oppoſuit, dictitans: *Quid eſt epiſcopus ad presbyterum? Nihil differt hic ab illo. Vnus enim ordo eſt, unus honor, una dignitas. Imponit manus epiſcopus: ita etiam presbyter. Lavacrum dat epiſcopus, ſimiliter & presbyter. Diſpenſationem divini cultus facit epiſcopus & presbyter ſimiliter. Sedet epiſcopus in throno, ſedet etiam presbyter. In hoc multos decepit, qui ductum ejus ſequuti ſunt.* Ita vivo adhuc Aerio hiſtoriam ejus Epiphanius in Panario ſuo recenſet Hær. LXXV.

IX. Notandum tamen eſt, quod nec Euſtatius Ponti Epiſcopus Aerij antagoniſta famæ adeo bonæ fuerit: nam & hic *Arij dogma*, teſte Epiphanio d. l. *ab initio usque ad finem retinuit nec ab hac hæreſi perſecutiones, quas ſubijt, abducere illum potuerunt.* Sicut igitur Pontificij circa Epiſcopi & Presbyteri diſcrimen à partibus Euſtatianorum poſiti ita argumentantem non ferent: Cujuscunque dogma convenit cum dogmate Euſtatij hæretici, is veterem hæreſin reſuſcitat. Pontificiorum circa diſcrimen Epiſcopi & Presbyteri dogma eſt tale. E. Ita puerile quoque eſt & ferula dignum argumentum, cum contra nos inferunt:

Cujuscunque dogma convenit cum dogmate Aerij veteris hæretici, is Aerij hæresin resuscitat. Lutheranorum circa æqualitatem episcopi & presbyteri dogma est tale. E. Facilis ad Majorem responsio est, quæ licet universalis videatur, revera tamen particularis est in Prima (quod vitium vel pueri Logicorum rident) cum hic ejus sensus sit: Cujuscunque ALIQUOD dogma est par ijs, quæ veteres hæretici docuerunt, is veterem hæresin resuscitat. Universaliter enim accipi Majorem non posse evidens est, quod non omne dogma ab hæreticis assertum hæresis sit, nisi tale fuerit, quod cum Apostolica doctrina apertè pugnat vel ab Ecclesia antiqua in hæresin condemnatum est. Alias nemo nescit, hæreticos unam duntaxat & alteram fidei partem negare vel in dubium vocare, at multa cum Catholicis communia adhuc credere, imo nisi id fecerint, non tam hæretici sunt, quam infideles. Ad præsens igitur dicimus: Sicut Eustatius ideo hæreticis non accensetur, quod distinctos esse ordines docuerit sed quod cum Ario Filium Dei in Creaturarum ordinem retulerit: sic & nos de Aerio dicimus, hominem illum pro hæretico habitum non quod æquales episcopos & presbyteros fecerit, sed quod in eadem cum Eustatio castra Arij secesserit.

X. Sed rem ipsam contemplemur, circa quam diffiteri non possumus, quod si nihil aliud Aerius docuerit, quam Episcopos & Presbyteros *jure divino* nec ordine nec gradu differre, doctrina illa per se hæretica non sit, cum S. Scripturæ ævoque apostolico & multorum Ecclesiæ Patrum sententiæ conformis sit. Ipsa S. Scriptura eosdem facit hos & illos. Sic Apostolus Act. xx, 17. dicitur Ephe so Miletum *Presbyteros* convocasse, quos paulo post habita concione *Episcopos* à Sp. S. constitutos affirmat. Et Tit. 1, 5 jubetur Titus opidatim *Presbyteros* constituere vitæ in-

tegræ,

tegræ, quod *Episcopum* inculpatum esse oporteat. Petrus 1 epist. v, 1 *Presbyteros* hortatur, ut velint *ἐπισκοπεῖν*. *Presbyterium* 1 Tim. iv, 14 dicitur sacros ordines contulisse, quæ episcoporum prærogativa olim erat maxima. Apostoli ipsi se *Presbyteros* aliosque suos Cooperarios *Compresbyteros* appellant. II Ioh. 1, 1 & 1 Pet. v, 1. At Apostoli sub episcopis non erant. Nomen igitur Presbyteri inferiorem gradum; qui alium superiorem agnosceret, nondum importabat. Bellarminus ipse vi veritatis adactus fatetur in SS. Literis nomina Episcoporum & Presbyterorum communia fuisse l. 1. de Clericis c. xv.

XI. Sanè Epiphanius ad Aerij argumenta ex Apostolicis scriptis allata vix solidi quicquam habet, quod respondeat. Sic enim ait: *Non novit Aerius, qui Consequentiæ Veritatis ignarus est & historias profundissimas non legit, quod cum recens esset prædicatio, S. Apostolus pro re nata velut habebat, scripsit: Vbi enim Episcopi erant jam constituti, scripsit Episcopis & Diaconis. Non enim omnia statim potuerunt apostoli constituere: Presbyteris enim opus erat & diaconis, quia per hos duos compleri ecclesiastica possunt. Vbi verò non inventus est quis dignus episcopatu, permansit locus sine episcopo. Vbi autem opus fuit & erant digni episcopatu, constituti sunt episcopi. Cum autem multitudo non esset, non inventi sunt inter ipsos, qui presbyteri constituerentur & contenti fuere solo episcopo in loco constituto. Verum sine diacono impossibile est esse episcopum. Et curam adhibuit Apostolus, ut essent diaconi episcopo propter ministerium. Sic Ecclesia accepit complementa dispensationis, sic illo tempore erant loci. Nam singula res non ab initio omnia habuerunt, sed temporis progressu ea, quæ ad necessariorum perfectionem requiruntur, parabantur.* Hæc Epiphanius, quibus Aerij argumenta ex SS. literis circa rem præsentem petita existimat soluta. Verùm Pontificij ipsi fatentur ab Epipha-

 nio

nio malè hac in parte disputatum. Bellarminus ita: *Dicit Epiphanius Paulum solitum scribere: Episcopis & Diaconis, quod eo tempore ob ministrorum penuriam multis in locis non essent presbyteri ulli, sed Episcopi soli cum diaconis. Possunt enim episcopi etiam presbyterorum officio fungi. At hac Epiphanij explicatio tum haberet locum, si Paulus scriberet: Episcopo* (in singulari) *& diaconis, aut si non ad unam sed ad plures civitates scriberet? Episcopis* (in plurali) *& diaconis. Sed cum ipse ad unam urbem Philippensium scribat & dicat se scribere ad Episcopos* (in plurali) *& diaconos, quomodo quaeso illa explicatio locum habere potest: Si enim in una urbe multi episcopi esse poterant, quanto facilius unus episcopus & plures presbyteri.* Hæc contra Epiphanium Bellarminus d. l.

XII. Unum adhuc ex Epiphanij discursu circa testimonia S. literarum quoad præsens expendi dignum est. Magnum contra Aerium in dicto Paulino præsidium collocat, quum Timotheus episcopus jubetur, ut Presbyteros ne objurget, sed humaniter tractet. Episcopo igitur in presbyterum erat potestas. Resp. falsò præsupponit Epiphanius, Titum & Timotheum horumque similes veros episcopos, quales Epiphanij tempore erant, fuisse. Non episcopi erant & ad certam cathedram astricti, sed Viri Apostolici, quorum opera in fundandis hinc inde Ecclesiis Apostoli utebantur. Hinc & Apostoli (quia horum συνεργοὶ erant) & Episcopi (quod in novellis ecclesiis presbyteros constituerent) vocabantur ob aliquam analogiam, si non prorsus homonymicè. Sic Paulus Epaphroditum Apostolum nominat, quod ad Philippenses eum misisset. Phil. II, 25. Sed quales Apostoli, tales quoque Episcopi erant, saltem ob quandam similitudinem. Adde quod jam supra ex Epistolis ad Timotheum & Titum æqualitas Episcoporum & Presbyterorum ævi apostolici evicta sit. Ita

ergò

ergò in hæresi ex SS. literis Aerio impingenda malè hactenus stetit Epiphanius.

XIII. Sed & ex antiquis Patribus opido multi, inprimis S. Hieronymus hanc indifferentiam Episcoporum & presbyterorum tantum abest, ut Aerianam hæresin statuerint, ut potius S. Scripturæ conformem duxerint: Neque enim nostra sententia alia est, quam S. Hieronymi dicentis: *IDEM EST PRESBYTER, QVI ET EPISCOPVS & antequam diaboli instinctu studia in Religione fierent & diceretur in populis: Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego Cephæ, COMMVNI PRESBYTERORVM CONSILIO Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto Orbe decretum est, ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putet autem aliquis, non scripturarum, sed nostram esse sententiam, quod EPISCOPVS AC PRESBYTER VNVS, & aliud ætatis, aliud officij nomen sit, relegat Apostoli verba &c.* Pluribus enim Scripturæ oraculis suam hanc doctrinam egregiè confirmat, Comment. in Epist. Tit. 1, 5. His paria docent S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Primasius, alij, quorum testimonia affatim reperire est in Walonis Messalini, quisquis ille sit, libello ex professo in hanc rem scripto. Proinde si hæc sit Aerij hæresis *jure divino* nihil discriminis inter episcopum & presbyterum intercedere, tot sanctissimos Patres hæreticos fuisse oportet.

XIV. Michaelem Medinam quidem lib. 1. de sacrorum hominum Origine & Continentia affirmare non puduit, ipsum S. Hieronymum idem cum Aerianis sensisse Ambrosium quoque Augustinum, Sedulium, Primasium, Chrysostomum, Theodoretum, Oecumenium, Theophylactum in eadem cum Aerio hæresi fuisse. *In Hieronymo*

 tamen,

tamen, inquit, *& græcis illis Patribus olim propter eorum honorem & reverentiam hæc sententia aut dissimulata aut tolerata est in illis; contra in hæreticis, quum in multis quoque aliis ab Ecclesia declinarent, tanquam hæretica semper est damnata.* Tanta est hujus scriptoris impudentia, ut ad tuendum, quod animo præconceperat, dogma tot Patres totius Ecclesiæ suffragio receptos hæreseos accusare non dubitet. Quid nobis nō affingant ejuscemodi ingenia, quæ nec ipsis Ecclesiæ Patribus inter hæreticos referendis parcunt? Pro confesso interea accipimus, quod Medina veritatis fulgore perculsus nostram de Episcopis & Presbyteris sententiam in scriptis tantorum Patrum fundari agnoscat. Bellarminus ubi hanc Medinæ sententiam recenset, qua præcipui Patres nobis ὁμόψηφοι Aeriani statuuntur, *valdè inconsideratam* eam vocat (siquidem levissimè loqui velit) ideo, quod (1) tot clarissimis *Patribus*, quos hæreticis connumerat, (2) *Ecclesiæ*, cui acceptionem personarum impingit, (3) *communi causæ* catholicorum injuriam faciat: *Qua enim fronte* (rectè scribit) *SS. Patres contra hæreticos* (Protestantes) *adferemus, si eam sententiam ab Ecclesia damnatam dixerimus, quam omnes ferè Patres græci & latini docuerunt?* l. 1. de Cleric. c. xv. Sed dum supra laudatos Patres ab hæresi Aeriana Bellarminus absolvit, eadem opera nos, qui cum Patribus consentimus, ab hæresi immunes pronunciat.

XV. Pontificij interea ut suum dogma (quod est, majorem ordinem Episcoporum, minorem presbyterij jure divino esse) contra nos tueantur, & S. Hieronymum cæterosque Patres nobis consentientes ab hæresi Aeriana, quam nobis impactam volunt, liberent, mirè se torquent. *S. Hieronymus*, ait Bellarminus l. c. *ubique agnoscit episcopum esse majorem presbytero, quantum ad ordinis potestatem & hoc sine dubio jure divino, ut patet ex epist. ad Evagrium, ubi*

sic

sic ait: Quid facit, excepta ordinatione episcopus, quod non faciat etiam presbyter? Sed Aerius docuit, unum esse Ordinem, unum gradum & manus presbyterum æquè ac episcopum imponere: Hæc enim ipsissima Aerij verba sunt. Resp. nullibi ex S. Hieronymo id, quod *ubique* extare Bellarminus mentitur, probari posse, puta quod *ævo apostolico* (de eo enim controvertitur) ordinis discrimen inter Episcopos & Presbyteros statuerit. Quod ad dictum prolatum attinet, ἀπροσδιόνυσον id est, quia Vir S. ibidem non de eô loquitur, quid sub apostolis, sed quid suo tempore (qui tribus seculis erat apostolis junior) fuerit in usu. Tum vero ordinum SS. discrimen fuisse nemo negat. Evidenter id ex contextu patet: Verba enim hæc sunt: *Quod autem* POSTEA (nempe post Apostolorum tempora) *unus electus est, qui cæteris præponeretur in schismatis remedium factum est, ne unusquisque trahens ad se Ecclesiam Christi rumperet: nam & Alexandriæ à Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium episcopos presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu locatum episcopum nominarunt, quomodo si exercitus Imperatorem faciat aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint & archidiaconum vocent: Quid enim excepta ordinatione facit episcopus, quod presbyter non faciat?* Ostendit videlicet Episcopis sui ævi Hieronymus presbyter, non habere eos, quod adversus presbyteros superbiant vel imperiosius agant, cum non competat ipsis, nisi primitas ordinis & potestas ordinandi, quæ sub Apostolis erat toti presbyterio communis, *postea* in primarium presbyterum, in quo uno temporis successu nomen episcopi hæsit, collata est. Epiphanius contra Aerium id ita exprimit: *Episcoporum ordo Patrum generator est: Patres enim generat Ecclesiæ. Presbyterorum verò non potens generare Patres per lavacri regenerationem generat filios Ecclesiæ.* At nec Aerio alia sententia stetit:

tit: nam quod docuit unum esse ordinem unumque gradum Episcopi & presbyteri, id verum est de *ævo apostolico*, ad quod Aerius æquè ac Hieronymus provocat; nec adeo hospes in Ecclesia potuit esse Aerius presbyter, quin Sacrorum Ordinum discrimen sua ætate receptum nosset.

XVI. Dixit quidem Aerius: *Manus imponit Episcopus, imponit & presbyter.* Sed hinc malè colligitur ab Aerio presbyteris sui ævi ordinationes tribui: neque enim omnis impositio manuum in Veteri Ecclesia collati ordinis erat indicium, nisi ea, quam *χειροτονίαν* prisci appellarunt. At Aerius presbyteris *χειροθεσίαν*, ut sonant verba græca apud Epiphanium, tribuit, non *χειροτονίαν*. Sic enim docuisse fertur: *χειροθετεῖ ὁ Ἐπίσκοπος, ἀλλὰ καὶ ὁ πρεσβύτερος*, non ad ordinationem, sed ad benedictionem. Notari h. l. meretur, quod ἡ *χειροθεσία* apud veteres multiplex fuerit nec omnis presbyterio ademta. Pænitentia enim h.e. pænitentiæ agendæ venia cum manuum impositione dabatur. At pænitentiarius, qui eam dabat presbyter fuit in Ecclesia Orientali. Hic etiam cum manuum impositione reconciliabat Pænitentes exacto perscriptæ exomologeseos tempore. In Ecclesia Africana solius erat Episcopi reconciliare Pænitentes. In Ægypto absente episcopo Presbyter consignabat, quæ confirmatio etiam cum manuum impositione dabatur. Notanter itaque dixit Aerius *χειροθετεῖ Ἐπίσκοπος, ὁμοίως καὶ ὁ πρεσβύτερος*, de generali impositione manuum loquens, non de illa speciali, quæ ordinationibus competit, dicta *χειροτονία*, uti præclarè observat contra Petavium Loyolitam Walo Messalinus in l. de Episc. & Presb. c. IV. Hactenus igitur Aerius & S. Hieronymus consentiunt in eo (1) quod ævo apostolico Episcopus & presbyter per omnia pares fuerint (2) quod ea ætate, qua ipsi vixerunt, solo ordinandi jure episcopus presbytero superior

fuerit.

fuerit. De primatu Jurisdictionis, quam Pontificij fingunt, altum in V. E. silentium est.

XVII. Sed operæ pretium est tandem ostendere, quid discriminis sit inter sententiam Aerij, ob quam Ecclesiæ odium incidit, & S. Hieronymi multorumque Patrum, quibus eadem nobiscum saltem in præsenti materia mens est. Differunt igitur (1) quod Aerius veterem morem, qui apostolico ævo fuerat, revocandum & presbyteros episcopis æquales iterum faciendos statuerit. At S. Hieronymus mores sui seculi post apostolorum excessum salubriter inductos diversosque à presbyteris episcopos utiliter ab Ecclesia factos, nec ab hoc Ecclesiæ instituto licet Apostolis ignoto recedendum censuit. (2) Aerius presbyter Episcopi sui jugum excutere volens ob disparitatem Episcopi & Presbyteri ab Ecclesia divortium fecit, turbas dedit & schisma excitavit: at S. Hieronymus itidem presbyter, tantum abest, ut propterea ab Ecclesia secesserit, ut potius superioritatem Episcoporum agnoverit, commendaverit eamque bono consilio vel ut ipse loquitur, IN SCHISMATIS REMEDIUM constitutam docuerit. Igitur quod hic Schismatis remedium vocat, ille in materiam schismatis convertit (3) Aerius contendit graviter peccasse Ecclesiam, quæ Episcopos supra presbyteros evexerit. *Dicebat* (scribit S. Augustinus hær. LIII.) *Presbyterum ab Episcopo nulla differentia DEBERE discerni.* Damnavit igitur Ecclesiam ob inductum SS. Ordinum discrimen, ob quod S. Hieronymus Ecclesiam dilaudat. Nos verò in talibus Aerium publicum Ecclesiæ turbatorem non tueri manifestum est.

XIIX. Dicis: Sed nec apud Protestantes discrimen Episcoporum & Presbyterorum reperire est adeoque in hoc saltem cum Aerio ejusque conventiculis Ecclesia Pro-

testantium concordat. Resp. sicut disparitas illa fatentibus S. Hieronymo alijsque Patribus non est juris divini, sed humani, ecclesiastici, positivi: ita etiam in Ecclesiæ arbitrio fuit eandem retinere vel tollere: nam circa Leges merè ecclesiasticas & positivas Ecclesia non universalis tantùm, sed & particularis, si urgens ratio intercesserit, dispensandi jus habet. Tantum verò abest, ut TEMERE, quemadmodum fecit Aerius, antiquum Ecclesiæ morem abrogaverimus, ut necessitas potius (quæ major lege est) redeundi ad primigeniam consuetudinem, quæ sub ipsis apostolis viguit, Ecclesijs nostris fuerit imposita inde, quod Episcopi in Papatu neminem sub initium Reformationis, imò nec hodie quenquam in nostra Ecclesia sive Presbyterum sive Episcopum ordinare voluerint. Ne igitur Ecclesia Orthodoxorum presbyteris destitueretur, reddenda ijsdem ordinandi potestas fuit, quam ævo apostolico habuerunt, at postea soli episcopi de manibus Ecclesiæ, liberrimo instituto acceperunt; atque ita cum in V. E. solo ordinandi jure episcopus presbytero superior fuerit, eo presbyteris reddito æqualitas denuo facta est. Verùm quia summa necessitas nos ut huc delaberemur coegit, malè cum Aerio compingimur, qui ex mera malitia & episcoporum Catholicorum odio ordines ecclesiasticos convulsit.

PRECES ET OBLATIONES PRO DEFVNCTIS.

XIX. Secunda, quam cum Aerio communem nobis facit Bellarminus, Hæresis est, quod Aerius docuerit ORARE VEL OFFERRE PRO MORTVIS NON OPORTERE. At Preces pro Defunctis tales sunt, ob quas nemini *per se ac simpliciter loquendo* hæreseos nota inuri potest, cum de his in tota S. Canonica Scriptura, præsertim

fertim Novi Test. unde Christiana Fides vel maximè æstimanda est, nec vola nec vestigium extet: nam quod II Macc. XII Iudas pro occisis in bello preces & victimas obtulisse dicitur, tanti non est, ut fidei nostræ dogma constituat, cum liber extra canonem sit & auctorem habeat, cui sub libri finem venia erratorum petenda fuerit. At nos supra ostendimus nullum dogma *per se* hæresin esse, nisi cum S. Canonica Scriptura, inprimis cum Apostolica Doctrina pugnet. De cætero in tribus ab Aerio quoad præsens, distinguimur. Primò Aerius non tam ideo, quod pro mortuis orare vel offerre noluerit, sed quod fideles pro defunctis orantes damnaverit precesque istas cum æternæ salutis dispendio conjunctas statuerit, pro hæretico habitus est: *Docuit* enim, teste Augustino hær. LIII. *NON OPORTERE orare vel offerre pro mortuis.* Ea verò doctrina si hæretica fuerit, simili ratione Pontificij in censum hæreticorum veniunt, qui levem quemcunque à Tridentinis in doctrina dissensum anathemate feriunt. At in tali hæresi Protestantes non sunt, ut ob preces pro defunctis Veterem Ecclesiam ejusque sanctissimos Patres damnent, quin potius cum S. Augustino fatemur, *quod non parva sit universæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, autoritas, ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino ad altare funduntur, locum suum etiam habet commendatio defunctorum*, ex Lib de cura pro mortuis cap. I. Nos, protestatur Apologia Aug. Conf. *orationes pro mortuis non prohibemus nec Aerio patrocinamur*, Art. III. abusuum mutatorum.

XX. Alterum, in quo circa Preces pro defunctis ab Aerio distinguimur, est illa vox Aerij: *Orat vivus, quid hoc mortuo prodest?* Sed nec hæc doctrina nostra est, cujus rei fidem l. cit. Apologia facit cujus integra verba hæc sunt: *Falsò citant adversarij contra nos damnationem Aerij, quem*

 dicunt

dicunt propterea damnatum esse, quod negaverit in Missa oblationem fieri pro vivis, & mortuis —— Epiphanius testatur Aerium sensisse, quod preces pro mortuis sint inutiles. Id reprehendit, neque nos Aerium tuemur. Nos tacente S. Scriptura definire non audemus, quis præcise sit usus precum pro defunctis, eo tamen ipso cum Aerio nondum inutiles, nedum illicitas pronunciamus. Nec sequitur: Non valent preces pro defunctis ad animas è purgatorio, commentitio illo furno liberandas, quemadmodum Pontificij volunt. Ergo nullus ipsarum usus est. Fallacia enim est à dicto secundum quid. Multi è nostris ad mitigandum discussionis judicium; alij pie defunctis in Beatitudinis suæ inchoatæ augmentum prodesse preces istas conjectant. Laudem certè vel hoc uno (cæteris paribus) merentur, quod mutuæ inter vivos & defunctos Charitatis symbola existant.

XXI. Sanè Epiphanius in refutatione Aerij utilitates precum pro defunctis percensere volens eas inprimis commemorat, quæ vivos attinent: *De eo,* inquit, *quod feruntur nomina defunctorum vita, quid hoc magis utile fuerit, quid commodius & magis oratione dignum, quod credunt præsentes, quod hi, qui decesserunt, vivunt & non sunt nulli, sed sunt & vivunt apud Dominum & ut pientissimam prædicationem recenseam, quod spes est orantibus pro fratribus, qui in peregrinatione,* (Purgatorij ne verbulo quidem meminit) *versantur. Prosunt autem & Preces pro ipsis factæ, etsi TOTAM CULPAM non abscindant.* Hæc Epiphanius hær. LXXV. Vivis igitur potius, quam defunctis preces exsequiales conducere affirmat & apud illos insigne fidei augmentum de animabus in Dei manu residuis & subsecutura Resurrectione corporum, nec non firmamentum fuisse affirmat bonæ spei, fore aliquando, ut ad fratres in Domino defunctos & à carne peregrinantes (non à Domino) redeant & ex voto denuo

con-

conjungantur. Quoad mortuos, in genere dicit prodesse preces, at usum non determinat. Obscurius est, quod ait, preces pro defunctis prodesse, *sed totam culpam non abscindere.* Inde enim Pontificij inferunt, precibus istis aliquid saltem culpæ v.g. culpas veniales, aut mortales satisfactionibus canonicis nondum plenè dilutas aboleri. Sed videtur Epiphanius Aerio respondere voluisse, qui ab ecclesia doceri fingebat, quasi preces etiam in impænitentia defunctis ad peccatorum quorumvis veniam obtinendam prodessent, ut paulo inferius dicetur. Epiphanius igitur, qui in tota hac materia trepide versatur, affirmat alia ratione preces pro defunctis prodesse posse, etsi non dicamus *τὰ ὅλα τῶν αἰπαμάτων* tota peccata h.e. omnia in universum peccata, mortalia sive venialia per eas abscindi. An verò *τὸ μέρος τῶν αἰπαμάτων*, pars aliqua peccatorum vel nonnulla saltem peccata vivorum illis suffragijs aboleantur, Epiphanius non exprimit, sed pontificij de suo, ut solent, addunt. Legi ad hunc locum dignus est Chemnitius in Exam. Concil. Trid. de Probationibus Purgatorij Cap. de Precibus pro defunctis.

XXII. Paulo specialius usum illarum precum manifestat Cyprius Doctor, dum porro contra Aerium scribit: *Pro justis & peccatoribus memoriam facimus. Pro peccatoribus quidem misericordiam implorantes; pro justis verò & Patribus, patriachis, prophetis, apostolis, evangelistis, martyribus, confessoribus episcopis & anachoretis & pro universo ordine cælestis hierarchiæ, ut D. N. Iesum Christum ab hominum ordine separemus, per honorem, quem ipsi exhibemus & ut adorationem ipsi præstemus, illud cogitantes, quod Dominus non est alicui hominum adæquatus, etiamsi millies & ultra in justitia degat. Ille enim Deus est, hic homo.* Hæc iterum Epiphanius. Dum precibus apud Deum defuncto pænitenti *misericordiam* obtineri

 posse

posse Sapiens Antiquitas credidit, inde perperam colligitur, animas in Domino mortuorum in purgatorio aliove misero statu degere, unde per preces liberandi sint, sed idem fuit votum Antiquitatis cum Paulino isto: *Det Dominus Onesiphoro, ut misericordiam inveniat in illo die.* Vnde patet, quod in extremo adhuc die locus aliquis misericordiæ futurus sit. De cætero memorabilem in ordine viventium ex precibus pro defunctis usum Epiphanius annectit: Dum enim Ecclesia eadem prece, qua misericordium Domini defuncto optarunt, peccatores & justos conjunxit nec aliquem Sanctorum eximium habuit, quin pro ejus salute oraverint, unico Salvatore excepto, fuit hæc oratio veluti publica, Fidei professio, neminem quantumlibet Sanctum ex proprijs meritis vel per suam justitiam salvari, sed omnes misericordiæ divinæ per Christum indigos salutem non habere, nisi per unum hominem in gratia Iesum Christum ejusque justitiam, passionem & mortem, ut ex re & vero S. Augustinus dixerit: *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia eam discutias.* lib. IX Confess. c. 13. Verùm de hoc precum illarum usu in Papatu vix quicquam dicitur.

XXIII. Tertium, quod circa Preces pro mortuis Aerius docuit, nec nobis probatur, est per preces istas latam portam flagitijs omnibus aperiri & peccandi licentiam introduci, qua de re ita loquentem Aerium facit Epiphanius: *Si preces viventium mortuis prosint, nemo sit pius nec boni quicquam faciat, sed acquirat amicos quocunque modo aut per pecunias persuadens amicis vel in obitu id demandans, & orent pro ipso, ut ne quid illic patiatur, neque immedicabilia peccata ab ipso perpetrata requirantur.* Sed nemini Pontestantium in mentem venit, ut assereret, tales fuisse ritus vel doctrinas Veteris Ecclesiæ, quibus impietati fenestra patefieret, quin agno-

agnoscimus potius priscos Patres sanctimonia atque eruditione pares hodiè vix habere, quippe qui pientissimis institutis id intenderunt, ut pietas & devotio animis fidelium ingeneraretur. Nec profectò mos orandi in Vet. Eccl. receptus *per se* impios reddidit vel impietati faces accendit, cum ut supra dictum, hæ preces augmentum Fidei, nutrimentum Spei, Symbolum mutuæ erga defunctum Charitatis fuerint, saltem ex Ecclesiæ scopo esse debuerint. Si qui è vulgo has preces aliter acceperint & indifferenter omnibus, etiam mortali peccato immortuis proficuas putarint, superstitio hæc fuit prudentioribus haud probata & precum istarum abusus. Alia verò ratio est, si quis hodiernas Papistarum preces & Missas pro defunctis spectet. Has qui pecuniæ aucupia & regni Antichristi columnas dixerit, fortassis à vero non recedit.

XXIV. Nos ubi ostenderimus Preces veterum pro defunctis ab ijs, quas hodiè Pontificij frequentant, toto quod dicitur cælo differre, simul evictum erit, nos, qui Pontificias preces taxamus, cum Aerio, qui veterum preces sugillabat, malè conferri. Antecedens facile probatur. Prisci in precibus suis sola defunctorum nomina ex diptychis h. e. tabulis ecclesiasticis recitabant ijsque placidam & mollem requiem, requiem perfectam, refrigerium, locum lucis & pacis, misericordiam in decretorio illo die, gloriam auctiorem, Resurrectionem ad vitam & similia pio affectu comprecabantur. At Pontificij preces pro defunctis expiatorias faciunt easque suffragia statuunt, per & propter quæ Deus pœnæ post culpam residuæ gratiam in altera vita faciat. Vocant satisfactorias ijsque vim è Purgatorio liberandi affingunt, qua de re puriori Antiquitati, primis saltem IV seculis nihil omnino constitit. Interea Pontificij sibi caveant, ne in idem cum Aerianis stabulum

com-

compingi possint. Aerius enim preces omnes pro defunctis adeoque illas præ cæteris damnavit, quibus Ecclesiæ pro Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus oravit. Nam adversus has preces ratio ab Aerio producta inprimis valet: *Orat aut dispensationem facit* (eucharistiam celebrat) *vivus, quid mortuo id prodest*? Sed si unus precum pro defunctis usus sit, quem Pontificij volunt, ut animæ purgatorio eximantur, oportet, ut cum Aerio veteri hæretico confiteantur, preces illas saltem, quas pro enumeratis sanctis in cælo indubiè existentibus Ecclesia fudit, inutiles & reprobas esse: in confesso enim apud omnes est, animas Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum in Purgatorio nunquam fuisse; vel si alium istarum precum fructum statuant, iterum fatentes habemus reos, ex precibus pro defunctis probari ignem purgatorium non posse. Vtrum velint, eligant.

XXV. Dicis: ad eum modum ipse S. Augustinus, qui Aerium in hæreticorum syllabo ponit, Aerianis favere dicendus est, dum preces pro sanctis in cælo reprobat; Hæc enim ejus verba sunt: Habet ecclesiastica disciplina (puta in partibus illis Africæ, Hippone & in vicinia) quum martyres ad altare Dei recitantur, ut pro ipsis non oretur. INIURIA enim EST ORARE PRO MARTYRE, cujus orationibus nos commendari debemus. Serm. XVII. de Verbis Apostoli. At constat ex Veterum Liturgijs, (quæ licet nec Apostolos nec Viros apostolicos autores habeant, valdè tamen antiquæ sunt & apud Pontificios in precio) morem in Oriente præsertim fuisse pro quibusvis etiam maximè sanctis orandi, ut ex formulis precum Tomo VI. Bibl. PP. collectis videre est. Ipse canon Romanus OMNIBUS in Christo quiescentibus refrigerij locum apprecatur. Resp. dum S. Augustinus preces Orientalium pro martyribus reprobat,

probat, Aerio certè in hac causa propior est, quam Ecclesiæ, in qua preces pro martyribus erant receptæ. Paulo duriùs à S. Augustino dictum pontificij ipsi vix diffitebuntur: *Injuria est orare pro martyre.* Ecquis enim adeo rigidus veterum censor velit esse, ut ob preces pio animo pro martyribus fusas contra tot nobiles & ab ipsis Apostolis extructas Ecclesias actionem injuriarum instituat? Veritus S. Augustinus est, ne per preces istas Sanctorū dignitas quâ inter homines fulgere debebant, evilesceret, eorumq; gloriæ in terris aliquid decederet si nos ipsos faceremus intercessores illorū, qui rectius nostri intercessores essent. At Christiani per Orientem absque injuriæ nota pro martyribus orarunt, cum nihil aliud nisi requiem vel acceptæ quietis continuitatem piissimo affectu (qui facit, ut nihil hìc sit injuriæ) martyribus apprecarentur. Sententiam tamen illam S. Augustini Aerianæ ex aliqua parte propinquam esse evidens est. Igitur antequam hæresin Aerij preces pro quibuslibet defunctis habitas damnantis, Ecclesiæ nostræ pontificij impingant, viderint, qua ratione S. Augustinum & se ipsos ab hac hæresi tueri velint, dum una cum Aerio preces pro Sanctis in cælo tanquam injuriosas vel inutiles ab Ecclesia eliminant.

XXVI. Vanissimum porro commentum est preces omnes, qualescunque tandem fuerint pro defunctis à nobis Aerium secutis explodi. Retinemus illas, sed abusibus, quos Papatus ijs invexit, sequestratis. Hinc si qui proximè præteritis diebus in Domino decesserint, gratias Deo agimus, qui in extremo agone moribundum adjuvit, & mortuo precamur, ut ejus molliter ossa cubent & in die Iudicij ad vitam resurgant. Id verò docemus, preces istas auctoritate S. Literarum destitui & solius Ecclesiæ consvetudine suffulciri. Consentit nobiscum Epiphanius, qui

 in de-

in defectu S. Scripturæ ad autoritatem Ecclesiæ se recipit: *Vt rursus*, ait, *ad propositi argumenti consequentiam deveniam, quod Ecclesia necessario hoc perficit, traditione à Patribus accepta. Quis autem poterit statutum patris aut matris dissolvere? velut Salomo dicit: Audi fili sermones Patris tui & ne repudies statuta matris tua, ostendens per hoc, quod & in scriptis & sine scriptis docuit Deus Pater, Vnigenitus & Spiritus S. Mater autem nostra Ecclesia habet statuta indissolubilia, qua dissolvi non possunt. Cum itaque ordinata sint Ecclesiæ statuta & benè se habeant & mirabiliter omnia fiant, confutatus est rursus hic seductor, Aerius.* Ita Epiphanius, qui ut vides, Preces pro defunctis ἐν τοῖς πατροπαραδότοις fundat. In reverentiam tamen Veteris Ecclesiæ, quæ morem illum prima induxit, preces istas *liberas* esse volumus. Nemo nostrum cum Aerio, orantes pro defunctis damnet, modo in formulis & terminis antiquæ Ecclesiæ hi, qui orant, sese contineant. Nemo preces pro defunctis sub necessitate salutis exigat vel orare nolentes pro mortuis (quod in SS. Literis nihil ea de re extet) damnatis ab Ecclesia hæreticis connumeret. Inter hæc extrema si mediam teneremus viam, iniri Concordia facile posset.

XXVII. Orationi pro defunctis Oblationes Bellarminus connectit. *Aerius*, inquit, *dicente Augustino docuit orare vel offerre pro mortuis non oportere*. At nec Protestantes ullibi locorum pro defunctis obferunt. Igitur hac saltem in parte Aerium sequuntur. Sed nos iterum annotamus Aerij hæresin non fuisse, quod non obtulerit pro mortuis vel quod oblationes istas ἐν τοῖς μέσοις statuerit, sed quod dixerit, NON OPORTERE (hæc enim S. Augustini verba sunt) obferre pro mortuis, nec salvari posse eos, qui ita offerunt. At nos veterem Ecclesiam pro mortuis obferentem absit, ut condemnemus. Dein Aerius

tius ob rem hanc indifferentem *pertinaciter* ab Ecclesia dissensit & schisma formavit. Solenne autem est S. Augustino, schismaticis hæreseos notam impingere, si forte errori suo pertinaciam adjungant. Sic de Donatistis scribit, *quod post dictam & finitam cum Ceciliano causam rei falsitatis deprehensi PERTINACI DISSENSIONE FIRMATA schisma in hæresin* converterint. Similiter Aerius circa oblationes pro defunctis hæreticus dictus est 1. quod dissentientes damnaret 2. quod errori pertinaciam adjungeret & in schismate contumax perseveraret. Sed uti oblationes veterum in Ecclesia hodie cessant, etiam inter Pontificios, sic propter eas schisma formatum dici non potest.

XXIIX. Notabile porro est, quod S. Augustinus inter propria Aerij dogmata preces cum oblationibus conjungat. Ita enim scribit: Dixit Aerius, Orare VEL offerre pro mortuis non oportere, ut videas per oblationes nihil aliud, quam preces pro defunctis intelligi. At Pontificij dictum hoc de Incruento suo Missæ Sacrificio accipiunt. Epiphanius, qui in Aerio refutando copiosior est, Oblationum non meminit, sed hoc ejus dogma refert: *Cur post mortem nomina mortuorum recitatis?* Sed esto, quod Aerius veterum pro defunctis oblationes contemserit, id nobis objici non debuit, qui in Papistarum Missam pro defunctis invehimur. Si Aerio in hac causa succineremus, oportebat in Papatu oblationes Veteris Ecclesiæ, quas Aerius damnasse fertur, adhuc reperiri. Sed has dudum desiisse ex sola veterum obferendi rituum enarratione palam fiet. In Vet. Ecclesia moris erat, ut si quis ante expletam Pænitentiam obiisset, cognati & amici nomine defuncti munera, panem præsertim & vinum ad dominicum altare obferrent, quæ oblata si reciperentur, indicio id erat defunctum in Ecclesiæ communione obiisse dignum-

que habitum, cujus nomen è diptychis ad Missam recitaretur, & pro quo preces funderentur. *Hæ oblationes*, scribit S. Augustinus, *pro valde bonis, gratiarum actiones; pro non valdè malis, propitiationes; pro valde malis, etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt.* In Enchir. ad Laur. c. cx. Ex his pro defuncto h. e. nomine defuncti ad altare oblatis S. Eucharistia confici solebat, unde omnes, qui exequias iverant, communicabant, ut ostenderent, se cum defuncto adhuc fide & spiritu communicare, atque hæc Missa circa curatum funus habita *Missa pro defunctis* vocabatur nō ideo quod defuncto in altera vita prodesse crederetur, ut Pontificij somniant, sed quod eam validū incentivum crederent ad ardentiùs orandū pro defuncto, quemadmodum hæc singula ex Antiqq. Eccl. præclarè deduxit B. Calixtus in Disp. de Sacrif. Christi Th. 25. & seqq. Cum igitur vel *αὐτοψία* Papalium Sacrorum probet oblationes tales non amplius superesse, patet nos, qui in Papalia Sacra invehimur, cum Aerianis veteres oblationes improbantibus æquandos non esse.

XXIX. Verum hæc est Pontificiorum vafrities, qua glaucoma imperito vulgo objiciunt. Nomina Veteris Ecclesiæ ostentant, *Missa Oblationum* & similia, sed quoad dogmata & res nominibus illis olim significatas ab institutis vel semitis antiquis longissimè recesserunt. *At nomina sine rebus quid sunt, nisi sonora mendacia?* quid, nisi cassæ nuces? Ita hoc loco quod Aerio circa rejectas oblationes pro defunctis improperatur, Pontificij in nostram Ecclesiam, quæ papisticas pro defunctis Missas (Seelmessen) sustulit, intorquent, quasi verò oblationes veterum & Missæ in Papatu, in quibus Deo Patri Filius per Sacerdotem modo incruento offerri & meritum Christi omnibus, quibuscunque Missifex voluerit, vivis & defun-

ctis

ctis inprimis è purgatorio liberandis applicari fingitur, per omnia concordent, cum theatricas illas nugas nemo veterum noverit, nedum probarit aut reprehenderit. Aliàs si per oblationes pro defunctis eleemosynas & ad pias causas legata intelligi quis velit, quibus post deductum funus vel ex defuncti testamento vel ex arbitrio hæredum pauperes vel clerici olim donari solebant, in illis approbandis difficiles non sumus nec ejusmodi opera pietatis cum Aerio improbamus. Hinc in multis apud nos ecclesijs videas in divitum funeribus eleemosynas liberali manu dispesci. Sunt alij è Nostratibus, qui ut post obitum benè agere ne cessent, annua legata pauperumque stipendia suo nomine distribui faciunt eorumque in cælis, virtute meritorum Domini, remunerationem expectant. Hæc apud nos fiunt, commendantur & ad veteres oblationes propius, quam Missæ pontificiæ accedunt.

STATA IEIVNIA.

XXX. Tertia, quam cum Aerio communem nobis faciunt, Hæresis stata jejunia concernit. Ita enim Bellarminus l. IV. de Notis Ecclesiæ c. 9. *Aeriani*, inquit, *teste Augustino docuerunt, stata solenniter jejunia celebranda non esse, ne videantur esse sub lege. Epiphanius addit, eos è contrario consuevisse feria Sexta & in Quadragesima ac præcipuè in Magna hebdomade vesci carnibus & si quando jejunare volebant, die potius dominico, quam alio jejunare solitos. Eadem docent & faciunt Lutherani ferè omnes.* Quis existimet tam splendide mentiri S. R. E. Cardinalem potuisse? Audiatur solum Epiphanius, qui de Aerio sic scribit: *Sed nec jejunium juxta Aerium ordinatum est. Hæc enim judaica sunt & sub jugo servitutis. Iusto enim lex non est posita, sed parricidis & matricidis & reliquis. Si verò omnino volo jejunare, qualemcunque eligam*

eligam diem à me ipso & jejunabo propter libertatem. Unde apud ipsos studium est, ut potius die dominico jejunent; quartas vero & pro sabbato (quibus veteres Christiani olim jejunarunt) *cedant. Sæpe verò etiam Quarta* (die Mercurij) *jejunant non ex statuto, sed ex propria ut inquiunt, voluntate. In diebus autem Pascha quando apud nos*(NB. morem antiquum) *fiunt humidormitiones, castitates, afflictiones, siccorum esus* (xerophagiæ) *preces, vigiliæ & jejunia & omnes animarum salutes per sacras afflictiones, ipsi à summo mane obsonantur carneque ac vino venas suas explent & cachinnantur ridentes ac subsannantes eos, qui hunc magnæ hebdomadis cultum perficiunt. Tametsi enim Aeriani renunciatorium habent vitæ modum* (hac in parte Religiosis ita dictis in Papatu perquam similes fuerunt) *non tamen exercetur apud ipsos, sed multo plus carnis esus & vini potus, nisi fortasse rari aliqui in medio ipsorum & propria voluntate hoc velint, verum plerique ipsorum magis utuntur largis eduliis, carnis esu & vini potu ut sæpe dixi. Hæc sunt, quæ Aerius in mundo evomuit.* Hactenus Epiphanius.

XXXI. Jejunium per se nemo nostratium, imò nec Aerianus aliquis culpaverit. Protestantium sententiam A. C. ita exprimit: *NON DAMNATUR IPSA JEJUNIA, sed traditiones, quæ certos dies, certos cibos præscribunt cum periculo conscientiæ, tanquam istiusmodi opera sint necessarius cultus.* At nec ideo à veteribus reprehensus est Aerius, quod Jejunium quoad ipsam substantiam rejecerit, sed quod aliquas Jejunij veterum circumstantias fuerit cavillatus. Fatetur enim Epiphanius, quod Aeriani diebus dominicis & sæpe Feria Quarta jejunaverint. De eo igitur, an sit jejunandum, nihil fuit cum Aerio controversiæ. Id in quæstione erat, an stata jejunijs tempora dicanda sint? Negativam Aerius sub specioso prætextu defendit, quod de tempore jejunii nulla lex in N. T. à Christo

 sto

sto vel ab Apostolis lata sit; Christiani autem novis legibus onerandi non sint, cum à legis & legalium ceremoniarum jugo per Christum redemti simus. Et ex parte ita est, quemadmodum dixit Aerius: In toto N. T. certa jejuniis tempora dicta non sunt. Quid? nec ipsum jejunium ullibi in N. T. præceptum est, vel si viri sunt Pontificij producant. Legimus quidem jejunia in N. T. verbo & exemplo sæpius suaderi vel commendari v. g. cum Salvator ipse XL dies totidemque noctes in eremo jejunavit; cum docuit, certum genus dæmoniorum non ejici, nisi per preces & jejunia Matth. XVII, 21 cum Apostolus Conjuges ab abstinendum exhortatur, ad tempus, ut vacare jejunio precibusque possint 1 Cor. VII, 5. & sic alibi, sed hæc mandantis verba non sunt. Hinc si quis rectè credat & pie vivat, etsi tota vita non jejunet, salvandorum numero propterea non excidet. Liberalius de Iejunij præcepto S. Augustinus locutus videtur, cum ad Casulanum epist. 36 scribit: *Ego in Evangelicis & apostolicis literis totoque, quod appellatur, Testamento animo id revolvens, præceptum video jejunium* (commendatum dicere voluit, certè debuit augustissimus Pater) *Quibus autem diebus oporteat jejunare & quibus non oporteat, præcepto Domini & Apostolorum non invenio definitum.* In eo igitur non cum Aerio, sed cum S. Augustino, qui Aerium hæreticis accenset, nobis convenit, quod contra Novatores in Papatu docemus, statos jejuniorum dies in N. T. nuspiam esse divinitus traditos aut præscriptos.

XXXII. Malè Aerius audiit, quod Ecclesiæ potestatem indicendi certa jejunii tempora ademerit eamque Iudaismi ob latas de jejuniis leges accusaverit. Sed meminisse debebat hic vitilitigator Ecclesiam jus ordinandi in ritibus externum Dei cultum, & quæ huc faciunt, adminicula

nicula de manu Domini & Apostolorum accepisse, ita ut circa adiaphora statuere pro arbitrio possit, modo ne τὰ μέσα divinis sanctionibus præponantur vel adæquentur vel sub necessitate salutis urgeantur legesve de iis latæ temere ferantur aut nimium multiplicentur. Alias inter divina & Ecclesiæ statuta ingens discrimen est : hæc enim ferre & auferre, condere & tollere in Ecclesiæ manu est, illa non item ; quanquam nec ecclesiæ statuta absque causa maximè urgenti violanda sunt. Rem simili declarabimus : Hodiè per totum Orbem Christianum divino cultui dies Solis dictus est, sed nullum ea de re mandatum in tota S. Scriptura exstat. Iam non licet inferre : Sacra ad diem Solis adstringenda non sunt, quia in SS. Literis id nullibi præcipitur, nec de diebus dominicis dicendum est, quod de statis jejuniis Aerius dixit : *Si sacra volo tractare, diem à me ipso quemlibet eligam & juxta libertatem meam sacris operabor.* Sanè hujusmodi hominem, qui ita temere à communi Ecclesiæ statuto recederet & relicto die Solis Sacra publica in diem Veneris aut Saturni translata vellet, omnes insolentiæ, stultitiæ aut schismatis accusaremus, etsi ex se perinde sit, quocunque die cultus Deo debitus exsolvatur. Eadem de Aerio certos jejuniorum dies ægre ferente, ideoque schisma formante & Ecclesiam ἐν τοῖς ἀδιαφόροις damnante, nobis stat sententia. Firmiter statuimus nec olim Ecclesiam nec hodie Christianum magistratum peccare vel reos Iudaismi esse, cum ex gravibus causis dies certos jejuniis dicant. In sanciendis enim jejuniorum diebus eadem Ecclesiæ potestas est, quæ in Sacris ad Solis diem de Sabbato transferendis. Impium itaque fuit & homine Christiano, nedum presbytero indignum, si Aerius illis diebus, quibus jejunium indixit ecclesia, ventri & gulæ in Ecclesiæ contemtum litaverit, qua in re neminem Protestantium adstipulatorem invenit.

XXXIII. Dicis: atqui etiam Lutherani certos jejuniorum dies respuunt: Ita enim ex A. C. edocti sunt, quæ non quidem ipsa jejunia vult videri damnasse, *sed traditiones, quæ certos dies præscribunt*. Verum hæc denuo sententiæ Nostratium perversio est, cum Praxis Ecclesiarum nostrarum contrarium doceat. Quis adeo hospes est in Ecclesijs nostris, quin meminerit in publicis sæpe calamitatibus certa jejuniorum tempora à Magistratu indicta? In his Provincijs stata Iejunia Quatuor Temporum quotannis adhuc agimus. Nec nostrum τῆς ὀρθοδοξίας σύμβολον Aerio favet: nam quod inde citant adversarij, eadem fide faciunt, qua Satanas mutilatè S. Scripturam adversus Dominum allegans Matth. IV, 6. quod si liceat, facile quidvis cuivis impinges faciesque

Candida de nigris & nigra in candida vertes:

Neque enim simpliciter A. C. certos jejuniorum dies Aerium secuta damnat, sed illos demum, *qui cum periculo conscientiarum* tanquam necessarius cultus Ecclesiæ obtruduntur, quod quemadmodum non fecit Vetus Ecclesia, ita nec Aerius reprehendit.

XXXIV. Denuo h. l. fraus papistica detegenda est: Nã dum circa spreta Veteris Ecclesiæ jejunia Aerianis nos accensent, veluti concessum præsupponunt, sua jejunia cum jejuniis Vet. Eccl. convenire, quo nihil est falsius: Priscorum enim Iejunium erat ab omni cibo & potu & ab omnibus externis delitiis abstinentia per diem integrum usque ad vesperam. Vesperi cænarunt quidem sed valde tenuiter eratq; tale jejunium Pietatis & devotionis augendæ, in Precibus præsertim ardentius ad Deum fundendis adminiculum. Hinc S. Augustino jejunia & eleemosynæ *alæ Precum* dicuntur, Serm. LIX de Temp. prout hæc singula ex Rever. Antiquitate jam dudum deduxit Chemnitius in Exam.

Concil. Trid. de Jejunio. Sed pontificium jejunium in *carnisprivio* situm est h. e. In abstinentia ab esu carnium, de cætero piscibus ad saturitatem usque vesci & generoso vino (liquido enim jejunia frangi non credunt) venas implere licet; & tũ strenue jejunarunt, cum à carnibus temperarunt, etsi alias difficilioris præparationis & majoris pretii escas (sturiones, truttas, murænas) ad edendum conquirant, cujusmodi jejunia jam olim S. Augustinus tanquam luxuriæ irritamenta rejecit. In serm. de Adventu Domini.

XXXV. Dein cum olim luce sub occidua vel saltem hora IX, quæ apud nos est (III) pomeridiana, jejunia solverentur: Pontificij summo meridie in quadragesima, hora apud nos XII jejunare desinunt, at vesperi variis electuariis, placentis & bellariis sese reficiunt, ut proinde ne tempus quidem apud veteres jejunio prædefinitum observent. Indignum est, hypocritica illa jejunia, quæ rectius *sagina magisteria* dixeris, cum rigidis priscæ Ecclesiæ jejuniis, quorum vix umbram habent, conferri & nos qui in papisticos circa jejunia abusus invehimur, Aerianis sanctissima jejuniorum Vet. Eccl. statuta sugillantibus pares censeri. Id prorsus intolerabile est & cum magna meritorum Domini injuria conjunctum, quod his suis æquivocè dictis jejuniis vim merendi apud Deum & satisfaciendi pro peccatis tribuant, uti videre est ex communi Papistarum responso ad Art. XV. Aug. Conf. In Veteri Ecclesia licet rigida essent jejunia, tanta tamen eorum virtus credita non est. Rhetoricantur alicubi prisci Oratores Sacri, & meritoria atque satisfactoria jejunia facere videntur, sed vel tyronibus in S. Antiquitate constat, quo sensu voces *merendi & satisfaciendi* accipiantur. Nunquam fuit apud veteres ipse Dei cultus vel pars divini cultus vel ratio Deum colendi in jejunio posita, uti autumant pontificii, sed statuit Antiquitas jejunia ad Deũ colendũ *ministerialiter* prodesse, ut animus rectè dispo-

neretur, caro subtracto pabulo edomaretur, devotio in Precibus accresceret &c. His positis evidens est, quod quantū papistica jejunia ab antiquis illis, tantum quoque nos ab Aerianis distemus. Iure optimo igitur Nostros iisdem verbis, quibus S. Leo M. Catholicos ab hæresi Manichæorum dehortatur, alloquimur: *Ne vos seducant deceptoriis artibus ficta & simulata jejunia, quæ non ad purificationem, sed ad perditionem proficiunt animarum. Speciem quidem sibi pietatis & castitatis assumunt, sed hoc dolo actuum suorum obscœna circumtegunt & de profani cordis penetralibus jacula, quibus simplices vulnerentur, emittunt, ut sicut ait Propheta sagittent in obscuro rectos corde. Magnum præsidium est Fides integra, Fides vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam nec minui potest* (attendite Pontificii, qui Fidei superadditis) *quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo: Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma &c.* Serm. IV. in F. Nativitatis.

XXXVI. Instas: Aerius ideo notatur, quod Feriæ Quartæ & Sextæ, & inprimis Quadragesimæ Iejunium solverit. Ita enim dum Aerium refutat, Epiphanius: *A quo non assensum est in omnibus Orbis terrarum regionibus, quod Quarta & Prosabbato jejunium decretum est in Ecclesia? Si verò oportet etiam constitutionem Apostolorū proferre, quomodo illic decreverunt Quarta & Prosabbato Iejunium per omnia, excepta Pentecoste, & de sex diebus Paschæ quomodo nihil omninò accipere præcipiunt, nisi panē & aquam & salem, qualemq; diem agere & quomodo dimittere in illucescentem dominicam manifestum est. Quis autem magis de his novit hic ne seductor, qui etiamnum superest, & huc usq; in mundo versatur, aut qui ante nos testes fuerunt, habentes ante nos traditionem Ecclesiæ, quiq; etiam à Patribus suis traditum acceperunt.* Atqui per totam quoque Protestantium Ecclesiam hæc jejunia cessant. Resp. (1) Aerium propter talia hæreticum censeri non potuisse, cum hæresis definiatur pertinax error S.

 Scri-

Scriptura evidenter oppositus. Sed de istis jejuniorũ diebus SS. literæ nihil præcipiunt, ut supra ostendimus. Schismaticus igitur esse potuit, dum unus ipse communem Ecclesiæ consvetudinem & Ecclesiam ipsam statis diebus jejunantẽ malitiose deseruit & priscis canonibus citra prægnantes caussas ex mero odio episcoporum, quorum statutis subesse noluit, contumacem sese præbuit. Hæreticus certe propter omissa Ecclesiæ jejunia censeri nec potuit nec debuit, nisi fortasse (quod vero nobis fit simile) ob stata Iejunia Ecclesiã condemnaverit: Iudaizare enim dixit Ecclesiam & populum Christianũ Iudaico oneri denuo per hæc statuta subdi.

XXXVII. Dicimus (2) quod nec ab ipsis Pontificiis per stata illa tempora ad morem veterum jejunetur, sed solum diversus à cæteris diebus edendi modus frequentetur, quia inter esculenta solũ carnes non habent, quibus per cæteros dies absq; ullo conscientiæ scrupulo vescuntur. Potui certè nihil detrahunt. Sed an hoc jejunare est, cum pro carnibus, à quibus abstinetur, grandia piscium duplicantur corpora, ut S. Bernh. alicubi loquatur. Dicimus (3) cum nec Quadragesimæ, nec Quartæ & Sextæ feriæ jejunia divinitus instituta sint, sed ex *solius Ecclesiæ* traditione deriventur, Ecclesiam quoque, etiam particularem, si sontica causa subsit, de his pro arbitrio citra hæreseos notam statuere posse. Dicis: Epiphanius jejunia IV & VI Feriæ ex *Apostolico canone* deducit. In reverentiam igitur Apostolorum retinenda erant. Resp. idẽ ille addit, *Pentecosten* ab Apostolis ordinatam h. e. ut quinquaginta dies continui, qui inter Festum Paschæ & Pentecostes intersunt, sint festi. Quæ autem potestas pontificiis fuit abrogandi Pentecosten, apostolicum illud & œcumenicum festum atq; intra hoc tempus agendi jejunia, eadem fuit Protestantibus in jejuniis Quartæ & Sextæ Feriæ tollendis, utut universaliter receptis, nec hæc ab Apostolis invecta constat, nisi ex sublestæ fidei scriptis, Possunt in jeju-

nia, quæ olim proba & recta erant, temporum successu tot tantique abusus irrepsisse, ut pro præsenti rerum statu tollere illa satius sit, quam propter talia scrupulos iniicere conscientiis & nimia Legum Ecclesiast. multitudine Christianos constringere, quemadmodum in ipsa quoque Rom. Ecclesia multi olim œcumenici Ritus hodie cessant.

XXXIIX. Quadragesimam ab Aerio violatam Bellarm. cōminiscitur, ut habeat, in quo cum Aerio comparare nos possit. Apud Epiphanium, cujus fide hîc nititur Bellarmin⁹, mentio nō est, nisi Magnæ Hebdomadis. Refert enim, quod Aeriani IN DIEBVS PASCHÆ (ita prisci septimanam Paschæ præviam vocarunt) heluati & comessati fuerint, quo tempore Orbis Christianus in luctu & jejuniis maximè rigidis (postea carenis dictis & inde die Karwoche) solo pane & aqua contenti vixerunt, humi cubarunt, ab uxoribus abstinuerunt &c. Sed hic vitæ rigor in ipso Papatu per Quadragesimam cessat, adeoq; non habent pontificii, quod hac in parte nobis improperent. Esum carnium in diebus Paschæ Aerianis objicit Epiphanius. *Philaster vero & hanc eis tribuit abstinentiam*, dicente S. Augustino, ut proinde incertum sit, annon carnisprivíū apud Aerianos æquè ac Pontificios solenne fuerit. De cætero si nos cum Aerio Quadragesimam violare dicendi sumus, quod à carnium esu non abstineam⁹, in simili luto Pontificii hærebunt ideo, quod per Quadragesimam à vino non abstineant: Nam utrumq; in Aerianis Epiphanius ex æquo reprehendit: *Aeriani*, inquit, *carne & vino per dies pascha venas suas explent*. Aperta autem est calumnia, in Ecclesiis nostris Magnam Hebdomada in comessationibus exigi. Quanta sit illius reverentia, quantus ad ædes sacras fidelium concursus, quam devota institutæ S. Eucharistiæ, passionis & mortis dominicæ memoria, &c. pietatis exercitia, ipsa docet *αὐτοψία*. Pluribus in locis die Para-

 sceves

ſceves jejunari ſolet, per totam Quadrageſimam hiſtoria Patientis Domini & Religioſa Vita ſedulo inculcatur, organa aliaq; inſtrumenta muſica in ſignum publici luctus conticeſcunt, ſponſalia nulla, nulla nuptialia convivia (ne quæ anſa heluationi præbeatur) aguntur, catechetica examina inſtituuntur ad morem Veteris Eccleſiæ, quæ Catechumenos olim per Quadrageſimā in Fide Chriſtiana inſtruxit, eosq; dixit Audientes. Dom. Palmarum Competentes fecit & Sabbato M. Electos, donec in F. Paſchæ baptizarentur, qua de re alibi. Iudicet jam Orbis univerſus, an hoc ſit favere Aerio per Magnam hebdomada epulanti & in Eccleſiæ contemtū ſacratiſſimis illis diebus intemperantiæ fores aperienti? Nos vero non in diebus tantum Paſchæ, ſed per totius anni curriculum ingluviem & heluationes damnamus probè memores, *quod qui talia agunt, regnū Dei non poßidebunt*. Gal. v, 21 Viderint autem Pontificii, ne dum ita improbè & calumnioſè innocentem Eccleſiam traducunt, pars ipſorum ſit in ardenti ſtagno omnibus iis parato, qui amant, dicunt & faciunt mendacia.

XXXIX. Plures hæreſes Aerii Epiphanius & S. Auguſt. recenſent, ſed quia harū ne ſuſpicio quidē in Eccleſiam noſtram cadit, ob Studioſos SS. Antiquitatū verbō ſaltē notabimus. S. Auguſt. ad Quodvultdeum hær. LIII. ſcribit fando ſe accepiſſe, quod Aeriani Encratitas vel Apotactitas ſecuti ad cōmunionem ſuam non admiſerint, niſi continentes & eos, qui ſeculo renunciaverint nihilq; proprii poſſederint, quo ipſo monachis & clericis in Papatu, quàm Proteſtantibus ſimiliores exiſtunt, niſi fortaſſis Aeriani meliores fuerint, cum ſæpius monachorum & clericorum papalium incontinens ſit continentia & cælibatus mirificè prolificus. Pauperes videri volunt, ut qui nihil proprii habeant, interim in luxu vivunt & patrimonium Chriſti abliguriunt. Sed hanc pontificiorum camerinam movere nunc non placet.

Postrema hæresis Aerii apud Epiphanium est de *Festo Paschæ: Quid est Pascha*, ajebat, *quod apud vos perficitur? Iudaicis fabulis rursus addicti estis. Non enim oportet pascha agere: pascha enim nostrum immolatum est Christus.* Epiphanius ita respondet: *Videamus Apostolum, qui dixit: Pascha nostrum immolatum est Christus* (hoc enim dicto Aerius abusus videtur) *annon ipse egerit pascha. Is vero festinabat, quo ageret diem Pentecostes in Hierusalem. Qualem autem Pentecosten perficiebat Paulus, si non & Pascha perficiebat?* Ostendit videlicet dicto illo apostolico Festum Paschæ non prohiberi, cum ipse Apostolus, cujus est hoc dictum, F. Pentecostes adeoque & Paschatis, cujus complementum est Pentecoste, celebraverit.

XL. Verus dicti sensus est, non esse amplius necessarium, ut Iudaicum pascha situm in occisione agni Paschalis, in comestione azymorum & veterũ beneficiorum in Ægypto præstitorũ transitusque per mare rubrum memoria à Christianis celebretur, cum aliud Christianis pascha h. e. agnus paschalis sit, *Agnus ille Dei, qui portat peccata mundi*, veteris agni, quem Iudæi olim occidere jussi erant, antitypus, quo semel in ara crucis immolato sacrificia V. T. omnia expirarunt. Mirum verò est Aerium ad hæc Apostoli verba provocasse, cum si quis ibi de F. Paschæ sermo sit, Aerius suæ ipsius sententiæ jugulum petat: statim enim adnectitur: *Itaq; nos festum agitemus non in fermento, sed in azymis sinceritatis & Veritatis.* Mens Pauli hæc est: Cum Christus ob peccata nostra occisus sit, fas est, ut hominis Christiani tota vita feriata sit, & nos rebus divinis operemur & à vitiis omnibus, quæ fermenti nomine insignit, feriemur. Summa huc redit: Videtur Aerius (sepofito Arianismo) per se & qua talis ob propria dogmata hæreticus non fuisse, sed schismaticus, homo turbulenti ingenii, qui ex mera malitia Veteris Ecclesiæ statuta convulsit, quorum nihil Protestantium Ecclesiæ absque grandi mendacio impingitur. Hæreticus autem haberi potest Aerius, si juxta mores Pontificios sua sibi propria dogmata sub necessitate salutis vel sub anathemate alijs voluerit obtrusa.

DEO
Supremo Veritatis Vindici
GLORIA!

Cum

CVm Sacram toties Cathedram conſcenderit ALTVS,
Viſus difficiles aſſeruiſſe theſes;
Cum creber ſoleat Collegia docta ſubire
Impendatque dies ingeniumque libris:
Cum Studiis addat Pietatem, nec minor illi
Cura ſit, ut rectè vivat agatque benè:
Forte brevi (voto Numen benedicat ab *Alto*)
Nomine quod proprio dicitur, ALTVS erit.

Teſtandi affectus ergo F.
PRÆSES.

Relligio ſimulac priſco gaudebat honore,
Iuppiter Auſonius miſerè ſua regna videbat
Quasſari & tantùm non ima ſede moveri.
Bile tumens igitur ſic affabatur amicos:
O ſocij, fuimus Troës, *niſi dogma Lutheri*
Tollitis è medio, quaqua ratione poteſtis.
Dixerat hic, illi Latialia juſſa capeſſunt,
Pars ad Scripturam verſi, num forte miniſtret
Non nihil armorum, pars docta volumina Patrum
Quærunt; ſed cauſæ cunctis nectuntur inanes.
Inde aliis placuit ſumma vi rumpere nodum
Qui ſolvendus erat; ſed & iſti littus ararunt.
Tandem duxerunt, perfortiter eſſe boandum
Nos eſſe hæreticam prolem & ſacra ſolvere jura,
Sic fore gens hæc ut penè uno concidat ictu.
Aſt cæcas mentes! & ſic invicta manebit
Dedita gens Chriſto, rumpantur ut ilia Papæ.
En, confracta jacent tela omnia, contudit & nunc
Hoſtem Iuliados magnum decus HILDEBRANDVS.
Si qua tamen ſuperant, celſo de ponte cathedræ
Confringes ô Tu patriæ ſpes alta celebris
ALTE, tuis auſis porrò precor optima quæque.

Præſtantiſſimo & Doctiſſimo Dn. Reſpondenti amico meo honorando hæc ſcripſi
M. ANDREAS Overbeck.